

tu nescis? *SO.* non, ita me di bene ament, mi Lache,
 10 itaque una inter nos agere aetatem liceat. *LA.* di mala
 prohibeant.

SO. meque abs te inmerito esse accusatam post modo re-
 scisces. *LA.* scio,

te inmerito? an quicquam pro istis factis dignum te dici
 potest?

quae mē ēt tē ēt familiam dedecoras, filio luctum paras; 210

tum autem ex amicis inimici ut sint nobis adfines facis,

15 qui illum decrerunt dignum sūos quoi liberos committerent.

tu sola exorere quae perturbes haec tua inpudentia.

SO. egōn? *LA.* tū inquam, mulier, quae me omnino
 lapidem, non hominem putas.

an, quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini 215

quo quisque pacto hic vitam vostrarum exigat?

20 multo melius hic quae fiunt quam illi[c] ubi sum adsidue scio.

ideo quia, ūt vos mihi domi eriti', proinde ego ero fama foris.

iampridem equidem audivi cepisse odium tūi Philumenam,

minimeque adeo [est] mirum, et nī id fecisset mage mirum 220

foret;

sed non credidi adeo ut etiam totam hanc odisset domum:

25 quod si scissem illa hic maneret potiu', tū hīnc isse foras.

at vidē quam inmerito aegritudo haec oritur mi abs te,

Sostrata:

rus habitatum abii concedens vobis et rēi serviens,

sumptus vestros otiumque ut nostra res posset pati, 225